



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1652. usque ad annum 1662

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1779

VD18 90119185

§. 71. Innocentii X. Pontificis obitus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67372)

§. LXXI.

Sæc. XVII.
A. C. 1655.*Innocentii X. Pontificis obitus.*

Posteris diebus morbi impetus tam vehementer ingravescere cæperat, ut non modo ob corporis languorem accedente ad hydropem febris nec cibum nec potum ultra sumere posset, sed etiam tam densa animi caligine obrueretur, ut deliranti similis multa a proposito aliena aut quæreret, aut responderet; exacto autem biduo præter omnium expectationem sibi plene redditus, multa & magna pietatis ac pœnitentiæ specimina edidit, ac sæpissime veniam suorum criminum a divina Bonitate exorans, invictaque patientia acerrimos dolores perpeffus, Christi e Cruce pendentis imaginem frequentissime exosculabatur, & Sacerdotem, qui Jesu ac Mariæ nomina morientis auribus ingerebat, hiulca voce sequebatur; tandem vero manifestiore vitæ fuga imminente, respondendi finis deprehendebatur, ac concidente lingua internecinum totius halitus silentium Papam expirasse indicabat. Obiit igitur inter Cardinalium & Domesticorum preces ac lacrimas optimus Prens die septima Januarii circa horam diei decimam quintam, anno ætatis octogesimo.

Hist. Eccles. Tom. LXII. O fimo

Sæc. XVII. fimo, Mense octavo, postquam Pontificatum gesserat, annos decem, Menses tres, dies viginti tres.

§. LXXII.

Innocentii X. gesta in Pontificatu

Hic idem Innocentius Pontificium honorem, ac Ecclesiæ libertatem tantam tectamque constantissime tenuit ea enim, qua supra ætatem, gentis suæ indolem præditus erat, animi firmitudine, ac constantia, minime Regum ac Principum potentissimorum Majestatem aut potentiam verebatur, si Apostolicæ Sedis auctoritatem, & Ecclesiæ decus labefactari cerneret. Experti fuere Lusitani, æque ac Hispani Proceres, qui Apostolicos Oratores ludibriis affecerant: Vindicaverunt etiam læsam in Electore Trevirensi immunitatem, necnon violata per pacem Monasteriensem jura sacra, & Religionis Catholicæ libertatem: Eandem præsertim animi magnitudinem monstravit, dum incassum reclamante Austria Gallica, Baupii Clerici causam suo tribunali reservaverat, & iniquissimum Christophori Castrensis Episcopi necessariorum anathemate, ac supplicio urbisque excidio ulciscabatur. Eiusdem insuper acerrimus æquitatis vindicæ